

tudinem celebrari. Festiuitates | siquidem ille, que octauam  
 habent, [cum] | maiori debent reuerentia obseruari | et sic  
 prius incipere et tardius terminari non | sine ratione uidentur.  
 [§ 2] Ceterum de homici[diis] nostrum uobis consilium respon-  
 demus, quod cum hominem | [quem]libet occidi contigerit,  
 interfectori | VII<sup>nisi</sup><sup>1)</sup> et maior secundum modum delicti peni-  
 tentia est in|iungenda, nisi id aliquis de precepto legitimi princi-  
 pis et legitime, scilicet pro iustitia facienda, aut forte inscien-  
 ter hoc fecerit. Verum modus penitentie secundum facti et persone  
 qualitatem augeri uel minui poterit et discretione adhibita  
 mitigari, de quibus, quoniam arbitraria sunt, nullam tibi  
 certitudinem possumus respondere. [§ 3] Diebus autem domi-  
 nicis uel aliis precipuis festiuitatibus siue inter pascha et pente-  
 costen genuflectio nequaquam fieri debet, nisi aliquis id secreto  
 ex deuotione facere uelit. In consecrationibus uero episcoporum  
 et ordinationibus clericorum consecrans tantum et consecratus  
 genua flectere poterunt, secundum quod orationum modus  
 requirit. § [4] Preterea festiuitas sancte Trinitatis secundum  
 diuersarum consuetudinem regionum a quibusdam scilicet in  
 octauis pentecostes, ab aliis in dominica proxima ante aduen-  
 tum domini celebrari consueuit. Ecclesia autem Romana in usu  
 non habet, ut aliquo tempore huiusmodi specialiter celebret  
 festiuitatem, cum singulis diebus dicatur: „Gloria patri et filio  
 et spiritui sancto“ et cetera consimilia ad laudem pertinentia  
 Trinitatis. Quare tibi, frater archiepiscopo, de usu pallii eo  
 die, quo sancte Trinitatis festiuitas celebratur<sup>a)</sup>, certum nequa-  
 quam potuimus dare responsum. § [5] Ad hec si altare motum<sup>b)</sup>  
 fuerit aut<sup>c)</sup> lapis ille solummodo suppositus, qui sigillum con-  
 tinet, confractus aut diminutus extiterit, debet altare denuo  
 consecrari. Ecclesia uero propter hoc nequaquam consueuit  
 suam consecrationem iterare; licet id quidem canones innuere  
 uideantur, nec tamen id facere prohibetur. § [6] De sacerdote  
 autem, qui paganum interfecit, non<sup>d)</sup> duximus respondendum,  
 cum ille prophetarum eximius, qui erat uir sanguinum, a con-

<sup>a)</sup> folgt quo getilgt.    <sup>b)</sup> fort. aus modicum.    <sup>c)</sup> ut.    <sup>d)</sup> so  
 auch Sang.; Singer emendiert vobis.

<sup>1)</sup> = septennis.